

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 2. (*Neovidensis* 1806. Nro. 102.)

Ex Campis Elysiis Sermo Politicus.

De felicitate animalium.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 10. Jan. 1806 (*Neov.* 20 Dec. 1805.)

Sententia:

Sensus melior in brutis, quam in hominibus.

Augustinus.

In hunc modum loquitur Joannes Eremita in Europæo Inspectore: — Per me licet, exponant alii præclare facta terrestrium, & maritimarum Heroum, prædicent magniloquentiam sic dictorum sapientium, & poetarum, extollant meticulositatem mulierum, & puellarum &c. sive soluta, sive ligata oratione — Ego mihi honori duco, animalibus, sorte sua contentis, qualibet occasione

struere panegyrim. Meæ laudes sine contradictione proveniunt ex animo, neque pertinent ad speculativam capitis, & ventris eloquentiam, qua quo magis os multorum repletur, eo minus participat ex utroque. Cui lubet ejusmodi præproperas legere beatificationes, illi abunde providerunt hodierni tam sacri, quam profani scriptores. Hic sæpe auditur mordax famæ tuba resonare de hominibus, & rebus, quam antiquitas exhibere consuevit. Profecto melior posteritas contra hanc nostrarum nugarum vaniloquentiam terribilem aget advocatum diaboli, nosque omni illa puerili & scenica pompa exuet, atque nostra dolose obtenta, vel a nobismet ipsis causa meritorum numismata liquefaciet, & convertet in tintinnabula. Sed vel invitius incido in svavissimum meorum æqualium peccatum, meque meris evagationibus totum exhaurio, antequam ad propositum descendam.

Persvasum habeo, neminem posse negare, animalia jam dudum possedissee verum sapientiæ lapidem, felicitatem, & tranquillitatem, quas res genus humanum inde ab origine sua aucupatur, & pedibus, manibusque prensat; atque ea propter nos pessime agere abnegando illis iudicium; siquidem manifestum est, illa jam sine intellectu eo pervenisse, quo etiam nos tendimus, sed præ merito intellectu, ut apparet, eluctari non valemus — Proh dolor! verissimum est, nos

esse ex materna naturæ domo, profugos, & degeneres filios, filiasque. — Nos jam per sæcula erramus, ut metam nostrorum desideriorum, seu felicitatem assequamur, qua tamen domi frui potuissemus, si nobis ambiguus intellectus suis sophismatibus non persuasisset, domesticam non esse veram, non esse expetendam. O vos felices bestias! quæ ex materna naturæ domo non estis egressæ, quæ sine murmure ejus libertati renunciatis, quæ nos quotidie mancipia, & prædam facit unius cujusque syllogisticæ! — Vestra sana, & minime fracta natura est paucis contenta, & indulget vobis, ut in sensu frugalis Epicuri, naturæ convenienter vivatis. Quanta vos manet fortuna! Vos nihil scitis de systematibus, fallacibus illis argutiis, quas omnis ætas inducit in scholas, ut antiquæ veritates nova sub specie propagentur. Vos cibos bene concoquitis, quin artis chemicæ, ejusque instrumentorum ullam vel remotissimam capiatis notitiam. Crescitis, & multiplicamini, quin vobis notæ sint illæ mirabiles, & doctæ hypotheses, quas nos de obscura hac re ideo tantum habemus, ut ea obscurior adhuc reddatur. Vos aureos fructus unius cujusque diei, horæ, & momenti decerpitis, quin in eorum consecraria diu, & operose inquiratis. Nulla vos noscitis præterita, quæ vos misere dilaniarent, nulla perspicitis futura, quæ vobis amaritudinem parerent. = Nimia gloriæ cupiditas, hæc

furia animorum, non arrodit vestra pectora, hæc nobis tantum propria est, qui damnati sumus ad avide sectandas ridiculas chimæras, qui ea de causa frequenter vitam immolamus, ut adhuc longiori, vel breviori tempore post mortem in statu umbrarum delitescamus, vel plane ut Lemures terrorem incutiamus nostris posteris. — Denique ex hac vita deceditis, quin sciatis, quid agatis, quin usum faciatis illorum paradoxorum, quibus inter Philosophos Spartanos Stoici manifesta cum anxietate metum mortis avertere conabantur, — — O terque, quaterque beata animalia!

Majorem in modum oro unumquemque, ut perpendat, an homines feliciores sint brutis, quod apti sint legendi nova, præsertim, quæ sequuntur.

Austerlitz 7. Decembris. Hodie huc comparuit 33tia, relatio magni exercitus, quæ in summa ista complectitur: Supremus Dux Buxhöyden cum pluribus aliis russicis Generalibus, quorum nomina ignorantur, interfectus est. Nostri milites ingentem copiam Ordinum, & fasciarum collegerunt. Russicus Generalis Kutusov vulneratus est, ejusque privignus, juvenis adhuc, sed magnorum meritorum periit. Ex inuito inortuorum numero patet occubuisse 18 millia Russorum, sexcentos Austriacos, & mongentos Gallos. Præterea vulneribus onusti sunt 7 mille Russi, & ter mille Galli. Generalis Rogerius Valhubert, qui ante horam, quam moreretur,

suo Imperatori scripsit, obiit ex vulnere. Generales Kellermann, Sebastiani, & Thibaut periculum mortis jam superarunt, Generales vero Marisy, & Dumont levioribus adhuc plagis affecti sunt. Copiæ Generalis Buxhövden in sinistra ala constabant ex 27 millibus, quæ omnes interneccione deletæ sunt, pluribus enim horis expositæ erant vehementissimo tam tormentorum, quam scoporum igni; horribilis fuit trucidatio. Jactura Russorum æstimari potest ad 45 millia, ut adeo Russorum Imperator nonnisi — cum 25 millibus sit domum rediturus. Utinam hæc experientia juveni Monarchæ documento esset, ut se a venalibus Angliæ consiliariis liberet! Si Voronzoff, Londini residens non jam plus Anglum, quam Russum redoleret, & si crederemus, eum vel cogitare potuisse, ut 60, 80, vel etiam 100 millia russorum Galliam opprimant, sub jugum Anglorum mittant, Belgium eripiant, cogantque Imperatorem ad tradendam Regibus Sardinia coronam ferream, exiguam de eo haberemus opinionem. Russici milites sunt boni, non tamen adæquant gallos. Eorum Generales sunt inexperti, miles rudis, & tardus, ea propter exercitus minime formidabilis. Sed posito etiam, ut victoriam referant, educendus foret e tota Russia populus ad obtinendum a Londinensibus Olygarchis propositum finem. Conflictus ad Austerlitz commissus est in sepulchro celeberrimi Kaunitzii, quod Vindobonenses gravissi-

furia animorum, non arrodit vestra pectora, hæc nobis tantum propria est, qui damnati sumus ad avide sectandas ridiculas chimæras, qui ea de causa frequenter vitam immolamus, ut adhuc longiori, vel breviori tempore post mortem in statu umbrarum delitescamus, vel plane ut Lemures terrorem incutiamus nostris posteris. — Denique ex hac vita deceditis, quin sciatis, quid agatis, quin usum faciatis illorum paradoxorum, quibus inter Philosophos Spartanos Stoici manifesta cum anxietate metum mortis avertere conabantur, — — O terque, quaterque beata animalia!

Majorem in modum oro unumquemque, ut perpendat, an homines feliciores sint brutis, quod apti sint legendi nova, præsertim, quæ sequuntur.

Austerlitz 7. Decembris. Hodie huc comparuit 33tia, relatio magni exercitus, quæ in summa ista complectitur: Supremus Dux Buxhövden cum pluribus aliis russicis Generalibus, quorum nomina ignorantur, interfectus est. Nostri milites ingentem copiam Ordinum, & fasciarum collegerunt. Russicus Generalis Kutusov vulneratus est, ejusque privignus, juvenis adhuc, sed magnorum meritum periiit. Ex inito mortuorum numero patet occubuisse 18 millia Russorum, sexcentos Austriacos, & mongentos Gallos, Præterea vulneribus onusti sunt 7 mille Russi, & ter mille Galli. Generalis Rogerius Valhubert, qui ante horam, quam moreretur,

suo Imperatori scripsit, obiit ex vulnere. Generales Kellermann, Sebastiani, & Thibaut periculum mortis jam superarunt, Generales vero Marisy, & Dumont levioribus adhuc plagis affecti sunt. Copiæ Generalis Buxhövden in sinistra ala constabant ex 27 millibus, quæ omnes interneccione deletæ sunt, pluribus enim horis expositæ erant vehementissimo tam tormentorum, quam scloporum igni; horribilis fuit trucidatio. Jactura Russorum æstimari potest ad 45 millia, ut adeo Russorum Imperator nonnisi — cum 25 millibus sit domum rediturus. Utinam hæc experientia juveni Monarchæ documento esset, ut se a venalibus Angliæ consiliariis liberet! Si Voronzoff, Londini residens non jam plus Anglum, quam Russum redoleret, & si crederemus, eum vel cogitare potuisse, ut 60, 80, vel etiam 100 millia russorum Galliam opprimant, sub jugum Anglorum mittant, Belgium eripiant, cogantque Imperatorem ad tradendam Regibus Sardinia coronam ferream, exiguam de eo haberemus opinionem. Russici milites sunt boni, non tamen adæquant gallos. Eorum Generales sunt inexperti, miles rudis, & tardus, ea propter exercitus minime formidabilis. Sed posito etiam, ut victoriam referant, educendus foret e tota Russia populus ad obtinendum a Londinensibus Olygarchis propositum finem. Conflictus ad Austerlitz commissus est in sepulchro celeberrimi Kaunitzii, quod Vindobonenses gravissi-

me perculit. Hic enim sua prudentia, bono agendi modo, & conservata cum Gallia amicitia Austriam ad summum perduxisset florem. Sequuntur nomina captorum russicorum Generalium: Bubizenski, Vimphen, Müller-Zakomski, Müller, Berg, Vekechou, Stritzky, Szerkakof, Princeps Repnin, Princeps Siderski, Adrian, Lagaroff, Sulima, Mezenkoff, Voycikoff. Plures alii in acie ceciderunt. Uti etiam ferine 500 Officiales, inter quos 20 Generales excubiarum Magistri, & Protribuni, & plures centenis centuriones. Imperator Talleyrandium Vindobona Brunam evocavit; Tractatus pacis fervet Nicolaiburgi. Maretius fuit in Austerlitz apud Cæsarem, qui laborem Ministrorum, ac consiliariorum signavit; At hodie noctem egit Brunæ.

Huic relationi tria Cæsarea Decreta de 27. Novembris, & 7. Decembris adnexa sunt in hanc sententiam:

In provinciis Domus Austriacæ a gallicis copiis occupatis colligatur contributio 100 Millionum Francorum; Hæc summa cedit exercitui titulo gratificationis. Pretia omnium promptuariorum salis, herbæ nicotianæ, armorum, pulveris pyrii, & bellicarum munitionum, quibus non eget gallicus exercitus, inferantur in ærarium militare, ut perinde inter milites in præmium distribui possint.

Viduæ occisorum ad Austerlitz Generalium habeant annuam pensionem 6 mille Francorum, Viduæ Tribunorum, & generalium excubiarum magistrorum 2400 Franc. Viduæ centurionum 1200 Fr. Viduæ Locumtenentium 800 Fr. ac denique gregiarum 200 Fr. Imperator adoptat omnes proles cæsorum ad Austerlitz gallicorum Generalium, Officialium, & militum, cunctæ educabuntur publicis impensis, filii quidem in palatio Cæsareo, filiæ autem in Fano S. Germani; Illi ad dignitates promovebuntur, istis dabitur dos; Præterea conceditur iisdem jus præter nomen baptismale, & gentilitium utendi etiam nomine Napoleonis, &c.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales profant:

Cétsényi Svastics Ignátz Magyarok' Historiája, három rézre metszett képekkel III. T. maj. 8. 1805. 5 fl.

Hertzeg Piripionak tündér története, Wieland után írta Magyar Földijeinek mulatásátára Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.

Articuli Comitiorum Anni 1805. 20 xr. compact. 24 xr.

Gruberi (C. A.) Elogia, & Epigraphica. Quibus accedit *Diagnosis librorum ab arte Typographica inventa, usque ad annum 1560. typis editorum.* Posonii 4. 40 kr.

Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúság' hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirora 3 fl. Fényes papirosra 6 fl. 40 kr.

Gazdagsági oktatás arról, hogy miképpen kell és lehet a' Német és Spanyol Lóherét Magyar országban legjobb moddal és legnagyobb haszonnal természetni, és mind a' kettőnek a magvát bőséggel szaporítani Posonyban 1805. 8-vo 10 xr.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luizianai Pufz-tákon. Kötve 45 kr. Posta papirofira 2 fl. Fényes appirofira 4 fl.

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le Désert, par F. A. Chateaubriand. 12. rélie 1 fl. 8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.

Jantin & Montigny, conte Moral, par l'auteur de l'histoire de Sudmer. 1804. 1 fl.

Gubernath, Institutiones Linguæ & Litteraturæ Hungariæ cum Phrasæologia, & Syntaxi ornata. 1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Nitsch, Gedichte. 2 Theile. 12. 1 fl. 15 fr.

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 3. (*Neovidensis* 1806. Nro. 103.)

*Ex Campis Elysiis Colloquium Politicum
vita functorum.*

Elysium. -- Meum. -- Die Martis 14 Jan 1806 (Neov. 24. Dec.)

Tessera Venetiarum: Pax tibi Marce Evangelista meus — jam secunda vice Venetias pace perdidit.

Dialogus.

Inter Vilhelmum Penn, & Richardum Alton,

Alton. Et quam tu in orbe terrarum egisti personam?

Penn. In novis religiosis principiis condidi coloniam, quæ modo maximum, & liberimum in mundo efficit Statum.

Alton. Non es tamen Frater Nicolaus Paraquariensis?

Penn. Vocor Vilhelmus Penn; hoc nomen satis indicat, quid acciderit.

Alton. Jam amplius continere me nequeo; Ego sum Generalis d' Alton.

Penn. Bella gerant tantum feræ bestię; Homines autem, quos rerum omnium effector Deus intellectu instruxit, per id se ab iis distinguant, ut neminem mordeant, neminem verberent, neminem occidant. Si doctrina Quakerorum, ut desiderabam, omnium animos pervasisset, nunquam illi ad arma descendissent, nec Generales, nec Decuriones fuissent necessarii.

Alton. O bone Penn! vigilans videris somnare. Contrarium possum demonstrare ex principe sede tuę doctrinę.

Penn. Magna petis Phaëton.

Alton. Non estne spiritus seditionis ex America in Europam translatus? Non sumsit ille initium Philadelphię? Numquid non erat Philadelphia primaria urbs, & sedes doctrinę tremulantium? Cui unquam incidisset cogitare, ut Quakerus Penn turbulentorum motuum sedem erigat? Sed audi benevole disserentem. Tibi forte maxima ex parte adscribendum est, Americam esse maximi momenti coloniam effectam, & intra exiguum tempus in immensum crevisse; Tu o

consilio est assignandum, per stoicum Quakerorum tonum eversam esse Monarchiam, imperii jugum excusum, oriam seditionem, vosque constituisse Rempublicam, quæ juxta rerum humanarum cursum diu durare nequit. Tua tremulans colonia doctrinam de motu populi Europæis subministravit; Ex his motibus nata sunt horrida bella, quæ in omnibus Europæ possessionibus mutationem induxerunt. Quapropter Quakerus est principalis causa omnium malorum, quæ generi humano impendent, & bellorum, quæ hucdum continuantur.

Penn. Hominum hoc vitium est, si etenim omnes Quakeri forent, si meam doctrinam adoptassent, nullum unquam bellum, nulla erupisset seditio.

Alton. Quæ te agitat vesania, dilectissime Penn! Quamdiu homo hominem non exuerit, id est: Quamdiu nostras actiones superbia, studium propriæ utilitatis, odium aliorum, cæteræque animi affectiones rexerint; & tenebras offuderint intellectui, tamdiu consilia de perpetua pace referenda sunt ad pia desideria. Tunc primo, si non obsequamur sensibus & affectibus, sed id tantum amplectamur, quod intellectus ut bonum proponit; si intellectus, Republicas gubernantes, & qui in partem regiminis vocantur, plene illustraverit, ut habitis sufficientibus viribus nove-

rint tam internos, quam externos motus a civitate avertere, aut, si hoc tantum in ideali a sapientibus excogitato mundo evenire possit, ejusmodi concatenatio circumstantiarum fuerit producta, & quam diutissime sustentata, quæ alios stringere gladium prohibeat, quod utinam in sola mente non subsistat; Tunc inquam primo, si non æternam, durabilem certe licebit sperare pacem.

Penn. Si omnes Quakerorum sectam sequerentur, nemo gestaret arma, & cunctæ tuæ argutiæ instar foliorum in autumnis conciderent.

Alton. Sine ut me expectorem. Si ita intime conjunctum est bellum cum natura humana, si natura in genere, tamquam bona mater nil aliud profert, quam quod ad essentialiam rerum, & conservationem universi necessarium est, non dubito, posse jure formari interrogationem: Nihilne boni continet bellum, estne in ordine rerum absolute malum? Triste foret, & creatori injuriosum, ad hanc questionem simpliciter affirmative respondere. Interim brevis consideratio docet, bellum esse præsentissimum remedium, infirmam, & debilitatam naturam humanam erigendi, dummodo, more violentorum medicorum, debita cum cautela, & moderatione adhibeatur, ne non sananda relinquat vulnera. Nullum sine bello genus humanum

ita deficeret, ut pristinas vires non nisi per novam creationem posset recuperare; Perpetua enim inter quietem, & laborem æquabilitas, ex qua, sed potissimum ex otio plurimorum nascitur luxus, fons omnis mollietis, illud nimio opere enervat. In hoc rerum statu, in quo quilibet intimo sensu de propria ignavia, defectu laborum, tum ægritonia, indignatione, & similibus affligitur, & pene ad desperationem adducitur, comparate ad omnes necessarium est bellum. In eo quidem multi horum imbellium pereunt, at multi etiam, se se emendaturi, revertuntur, & cum iis pax, & firmitas in imperio. Absque bello itaque vita humana redigeretur ad sortem muscarum unius diei; Tempore pacis autem vires intenduntur per stantes exercitus, eorumque exercitia. Quæ cum ita sint, laudandum est bellum, quemadmodum prædicamus tempestates, quæ quidem sæpenumero in nonnullis regionibus omnia depopulantur, at in aliis abundantiam rerum pariunt. Quod est tempestas in natura inanimata, hoc videtur esse bellum in animali.

B I O G R A P H I A.

Alton. (Richardus, Comes) Cæsareo-Regius Generalis peditatus, ordinis Theresiani Commendator, circa finem A. 1787 profectus est Belgico exercitui, sed paulo post

severitate sua odium incurrit Brabantinorum. Enato in his provinciis tumultu A. 1789 domuit seditiosos in prælio ad Thenas. Verum capto ab iisdem Gandavo, de amplioribus viribus erat cogitandum. Quare erexit legionem de suo nomine, seque cum Cæsareis copiis conjunxit. Ferventibus Bruxellis motibus intestinis, retraxit se, relinquens ibidem & ærarium, & tabularium publicum. Officiales eidem vitio dederunt, quod declarata factiosis nimia debilitate, & metu sine necessitate excesserit Bruxellis; Ast illi vetitum erat violare ullam domum, & præterea in ejus exercitu magna defectio facta est. Hinc desertis suis copiis profectus est Vin-dobonam, & in itinere mortuus.

Vilhelmus Penn, unicus Equitis, & Proadmiralis Penn filius, natus erat A. 1644 Londini. Absolutis Oxoniæ studiis peregre profectus est Parisios, in reditu intravit certum Hiberniæ portum, ubi ex curiositate interfuit conventui Quakerorum; Quæ res tantum ponderis habuit, ut illico huic sectæ nomen dederit, seque ejus principiis imbuendum exoptarit. Tandem veniens Londinum ad Patrem, eum more Quakerorum operto capite affatur: *Gaudeo, Amice, te salvum, & incolumem videre.* Proadmiralis putavit filium suum delirare, sed e vestigio comperit eum tremulantium sacris esse initiatum; Ad tantam animi obstinationem ira commotus jus-

sit eum domo exesse. Pennius discessit prædicaturus errores; erat autem adolescens insigni venustate, & corporis pulchritudine, & hæc fuerit ratio, cur ipsas etiam matronas aulicas in suam sententiam pertraxerit. Georgius Fox, Pater Quakerorum sectæ, inviserat eum Londini; Ambo decreverunt in aliis quoque provinciis disseminandam hanc doctrinam. Primum itaque concesserunt in Hollandiam, ubi a Palatina principe Elisabetha, amita Georgii II. singulari humanitate accepti sunt, verum in Germania paucas admodum fecere progressiones. Pennius aucta Patris sui gravi infirmitate rediit in Angliam, eique est reconciliatus. Hæreditate accepit ingens patrimonium, sed quod potissimum ex publicis constabat debitis. Accessit ille Regem Carolum II. petens ab eo solutionem debitorum, pro quibus A. 1680 obtinuit provinciam in America versus australem Marylandiam sitam. Hic iste Quakerorum antesignanus imperitabat; collectis enim ad duas naves multis Quakeris navigavit ad suam novam regionem, quam a suo nomine Pensylvaniam nominavit. Hic ille ædificavit urbem Philadelphiam, & latis legibus gubernavit. A morte Caroli II. successit in Regno Angliæ Jacobus II. Hoc regnante Pennius venit Londinum, fuitque a Rege, qui ejus Patrem singulariter dilexerat, magni factus; sed etiam Pennius Regi erat addictissimus. In quæstionem fuit vocatus, quasi ille perinde, atque

Monarcha, clam fuisset in ordinem Jesuitarum susceptus. Verum ita suam causam defendit, ut liber fuerit pronunciatus, licet multi de eo suspicionem habuerint, eum in animo verum mansisse Jesuitam. A. 1699 cum tota sua familia iterum demigravit in Pensylvaniam; sed A. 1701 repetiit Angliam, ubi a Regina Anna in Aula Regia peculiariter distinctus fuit. Tandem suam coloniam, Pensylvaniam vendidit Imperio Anglico 280 millibus librarum Sterlingicarum; manifestum indicium, eum pluris fecisse pecuniam, quam doctrinam Quakerorum. Reliquum vitæ tempus transegit Ruschombii in provincia Buckinghamiensi, ubi A. 1718 annum agens ætatis septuagesimum secundum fati functus est. Extant diversa ab eo edita opuscula in laudem *Quakerisimi*.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales prostant :

Tavaszi Virágok. 1805-re. Szedte B. I. Pósonyban 1805. 8-vo 18 kr.

Epistolæ Procerum Regni Hungariæ, quas Georgius Pray collegit, in 4-to 1 fl. 45 xr.
